



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Prolegomena sex, & duos priores libros De Necessitate Divinæ
Gratiæ Ad Honesta Opera

Suárez, Francisco

Mogvntiæ, 1620

Cap. XXII. Vtrum præter actus virtutum, & donorum, sint alij actus
supernaturales, ad quos sit specialis gratia necessaria: qui beatitudines,
vel fructus Spiritus Sancti dicuntur?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94086](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94086)

quod humilitas. Et hac etiam ratione dixit Altrifodorus supra c. 1. q. 3. ad temperantiam reduci hoc timoris donum; humilitas enim præcipua pars temperantiae est, & ideo sub nomine præcipuae partis tota temperantia intellecta est, sicut de pietate respectu iustitiæ diximus. Estque hæc sententia consentanea Augustino lib. 1. de ser. Domin. in monte cap. 4. dicenti, *Timor Dei congruit humilibus, de quibus etiam dicitur, Beati pauperes spiritu, id est, non inflati, non superbi, de quibus etiam dicit Apostolus, Noli altum sapere, sed time. Et serm. 17. de Sanctis cap. 1. in eodem sensu dicit, oportere incipere ab hoc timore, tanquam a conuale plorationis. Per conuale autem, ait, humilitas significatur. Quis est autem humilis, nisi timens Deum? Sic etiam D. Gregor. lib. 2. Moral. cap. 26. alias 36. timorem hunc superbia opponit. Per timorem ergo illum humilitas significata est, & sub humilitate tota temperantia intellecta, utique quoad materiam, sicut de iustitia diximus. Nam in omni materia moralium virtutum dona possunt operari altiori modo, ut declaratum est.*

23.
Satisfit
rationi addu-
cta.

Respondetur
ad authori-
tates Patrum
in num. 2.

Et per hæc responsum est ad primam rationem dubitandi in principio positam. Probat enim, hæc quatuor dona reduci ad quatuor cardinales virtutes quoad materiam, non vero quoad essentiam propter diuersam rationem, & modum operandi. Ad Patres autem respondemus, hæc nomina virtutum, & donorum in aliqua significatione generalia esse, quia & omnes actus honesti possunt dici dona, quatenus à Deo donantur, & hoc modo confunduntur inter dum hæc voces, licet inter ipsos actus sit distinctio, ad quam significandam accommodatae sunt illæ voces sub specialibus significationibus, vel latius infra dicemus, tractando de habitibus. Et ita Ambros. lib. 1. de Spirit. Sanct. cap. 20. cum dixisset, septem illis nominibus significari plenitudines virtutum, subiungit. *Vnum est ergo flumen sed multi spiritualium donorum meatus.* Clarius vero dixit Gregor. 35. moral. cap. 7. *Per dona inueniuntur virtutes.*

24.
Ad 1. confir-
mationem
in num. 3.

Ad primam confirmationem, fatemur illa exempla non tam probationis, quam explicationis, & manuductionis gratia esse adducta. Nec enim D. Th. existimauit Aristotelem cognouisse dona Spiritus Sancti, vel aliquid omnino simile: sed illis exemplis vsus est, ut intelligeremus, posse aliquid excellentius non tantum accidentaliter, sed etiam essentialiter diuersum, in nobis fieri ex altiori instinctu, & motione Spiritus Sancti: quod non solum sit proprium eius in hoc, quod citat hominem, praueniendo eius voluntatem, sed etiam in hoc, quod mouet ad operandum ex quadam altiori ratione, communes operandi regulas superante.

25.
Ad 2. confir-
mationem
ibidem.

Ad secundam confirmationem, quod attinet ad virtutem Theologicam, respondet D. Tho. 1. 2. q. 68. art. 4. ad 3. & art. 8. dona supponere vnionem ad Spiritum, quam faciunt theologales virtutes, & ideo has virtutes supponi ad dona, ut radices, & regulas illorum, ideoque & esse perfectiores quibusque donis, & non esse necessaria dona, quæ Theologicos actus efficiant: deberent enim perfectiori modo fieri per talia dona, quam per ipsas virtutes Theologicas, quod esse non potest. Quia virtutes Theologice tam ex parte obiectorum materialium, quam ex ratione formali attingendi illa, habent supremam excellentiam, ita ut non possit Deus sub altiori ratione amari, quam per charitatem ametur, & sic de cæteris. Nam omnes immediate nituntur ipsi Deo tanquam obiecto, & tanquam regulæ, & tanquam principali efficienti. Vnde in materia virtutum non inuenitur excellentior modus operandi, quam sit Theologali virtutum, quod non ita est in virtutibus moralibus, ut explicatum est. Ad aliam illius argumenti partem in sequenti capite respondemus.

Ad aliam par-
tem rationis.

CAPVT XXII.

Utrum præter actus virtutum, & donorum sint alij actus supernaturales, ad quos sit specialis gratiæ necessaria, qui beatitudines, vel fructus Spiritus Sancti dicuntur?

IN hoc capite breuiter comprehendemus quæ de beatitudinibus, & fructibus Spiritus Sancti Theologi disputant in 3. d. 35. & copiosius D. Th. 1. 2. q. 69. & 70. quæ ad complementum huius materie visa sunt necessaria, tum ut soluiamus argumentum in fine capitis præcedentis relictum, tum ut omnia, quæ de supernaturalibus actibus, & gratia ad illos necessaria desiderari possunt, complectamur. Quod Beatitudines ergo ad beatitudines spectat, hoc nomine significatur illi actus, quibus homines beatos fieri Christus docuit Matth. 5. in initio suæ prædicationis, dicens, *Beati pauperes spiritu, &c.* De quibus non defuerunt Theologi, qui dixerint, beatitudines esse actus distinctos à donis, & virtutibus. Ita significat Albert. in 3. d. 34. art. 2. quæstion. 3. Henric. quodlib. 4. quæst. 23. Gerson. tract. de beatitud. Alphab. 28. liter. G. Veruntamen non videntur loqui de distinctione essentiali, sed de accidentali: nam beatitudines esse volunt virtutes in statu perfectio, seu prout actus heroicis eliciunt, ut explicuit Gabriel in 3. d. 34. conclus. ult. Igitur generatim loquendo, dico beatitudines quidem esse bonos, & optimos actus, & adeo excellentes, ut non possint sine gratia speciali fieri, non tamen esse distinctos ab actibus virtutum, & donorum, sed sub illis comprehendi. Prima pars certa est in fide, & ipsius Christi autoritate satis comprobatur: ipse enim non solum laudauit, & commendauit hos actus, sed in eis etiam beatitudinem posuit, non quia in eis formaliter beatitudo consistat, sed quia per illos vera beatitudo comparatur: at beatitudo vera non nisi per actus bonos, & honestos obtinetur: ergo. Et explicando singulos actus id aperte constabit. Vnde obiter intelligitur, quomodo cum beatitudo vna sit, Christus octo beatitudines numeret: nam licet beatitudo formalis, seu in termino sit vna, via tamen ad beatitudinem vel est multiplex, vel plures actus comprehendit, qui causaliter, vel dispositiue beatitudines nominantur, quia ad veram beatitudinem disponunt, ac perducunt.

Et hinc facile probatur secunda pars, quam etiam de fide certam esse iudico, nimirum, hos actus esse supernaturales, & sine gratia Dei fieri non posse. Quia beatitudo à Christo prædicata, & promissa supernaturalis est, & ad illam non nisi per actus diuinæ gratiæ tenditur, sed per hos actus, qui beatitudines dicuntur, ad veram beatitudinem Christianam tenditur: nam per hos actus homines ad illam consequendam optime disponuntur; sunt ergo tales actus, qui sine gratia Dei fieri non possunt. Et hoc etiam aperte conuincitur ex regula supra demonstrata, quod nullus actus conducat ad vitam æternam potest sine gratia Dei fieri: nam omnes isti actus valde conducunt ad vitam æternam, ut ex testimonio Christi constat, & in singulis statim declarabitur. Denique vltima pars, quod illi actus non sint alterius ordinis à virtutibus, & donis, ab omnibus Theologis recepta est. Et probatur, quia illa distinctio nec in Scriptura, nec in Patribus significatur, nec est necessaria, cum illa omnia, quæ à Christo beatificantur, fieri non possint, nisi vel secundum ordinarias regulas fidei, id est, secundum rectam, & perfectam rationem fide illustratam, vel secundum instinctum, & specialem motionem Spiritus Sancti. Quia ratione vsus est Diuus Thomas dicta quæst. 69. articul. 1. præcipue ad 2. ubi autoritate Augustini idem confirmat. Sed hæc omnia magis illustrabun-

strabuntur, breuiter per singulas beatitudines discurrendo.

3. *Prima beatitudo cap. 1. v. 1. quæ tribus modis exponitur. Primo vt per paupertatem spiritus vera, & interna humilitas intelligatur, nam ita solet paupertas in Scriptura sumi, & ita exponit Nissen. in libr. de Beatitudinib. & Hieron. ac Cyrill. in id. Isai. vlt. Ad quem respiciam, nisi ad pauperulum, & contritum spiritu. Vbi Cyrillus legit, nisi ad humilem, Hieronymus vero per pauperulum humilem intelligit, & subiungit, de quo dictum est in Euangelio, Beati pauperes spiritu. Et eodẽ modo exponit Matth. 5. addens, hoc esse quod Psal. 33. scriptum est, Et humiles spiritu saluabit. Et ideo (inquit) adiunxit spiritu, vt humilitatem intelligeres. Et tandem ait, hos esse pauperes, de quibus Isai. 61. prædictum est, Euangelizare pauperibus misit me. Et eandem expositionem habet Chrysost. Homil. 15. in Matth. Hilarius can. 4. August. late serm. 1. de Sermon. Domini in monte cap. 4. Et ita dicit, hanc primam beatitudinem respondere septimo domino timoris, quod nos etiam de humilitate exposuimus.*

4. *Secundo exponitur de spirituali contemptu diuitiarum, & rerum omnium temporalium, etiam si re ipsa non relinquuntur. Vnde ideo creditur additam esse illam particulam, Spiritu, vt non solum intelligantur beatificari pauperes, qui re ipsa diuitijs carent, sed etiam illi, qui licet diuites actum, seu re ipsa sint, animo tamẽ parati sunt omnia relinquere, quando oportuerit propter regnum celorum. A qua expositione non longe abest Hilar. Nam licet de humilitate exponat, statim illam declarat per affectum, quo nihil tanquam nostrum possideamus, sed ex Dei dono, vt ea tanquam communia possideamus, nec temporalium rerum cupiditate corrumpamur, sed exemplo omnia omnibus communicare parati sumus. Idemque insinuat Ambros. lib. 5. in Luc. cum ait, Primam benedictionem hanc vterque Euangelista posuit, ordine enim prima est parens quadam generatio, virtutum, quia qui contempnit secularia, ipse merebitur sempiterna: nec potest quisquam meritum regni celestis adipisci, qui mundi cupiditate pressus emergendi non habet facultatem. Vbi rationem etiam expositionis indicat. Nam Christus non videtur initium predicationis sue ab statu perfectionis sumpsisse, sed ab illa paupertate, quæ omnib. necessaria est; hæc autem est paupertas spiritus quoad moderationem affectus diuitiarum, in sensu declarato.*

5. *Nihilominus est tertia expositio, quæ de vera paupertate Evangelica hanc beatitudinem exponit, quæ ideo dicitur esse spiritus, quia non debet esse coacta, vel tantum a fortuna, sed voluntaria, aut etiam quia debet proficisci ex spiritu perfectionis, tanquam dispositione necessaria ad illam, iuxta illud Matth. 19. Si vis perfectus esse, &c. Et hanc etiam expositionem Hieronymus adiungit, & cum humilitate coniungit, quia est optima dispositio ad illam, vel quia sine illa haberi non potest. Vnde recte dicit Cyprian. vel auctor libri de duodecim abusib. gradib. cap. 8. Vnum gradum abusionis esse pauperem superbum, vbi hæc etiam expositio ponitur, & merito dicitur promitti regnum celorum his, qui omnia temporalia despiciunt. Et hinc est, vt aliquando Patres omnes has expositiones inuoluant, vt viderelicet in Hieronymo supra, & latius in Leone Papa sermon. de Omnibus Sanctis, vbi prius paupertatem spiritus dicit esse humilitatem, quæ maxime solet esse in pauperibus, id est, carentibus temporalibus bonis, licet etiam esse possit in diuitibus, si sint proposito pauperes, licet impares censu. Vnde subiungit: Beata illa paupertas, quæ rerum temporalium amore non capitur, &c. Postea vero dicit, huius magnanimæ paupertatis exemplum nobis Apostolos tribuisse, omnia relinquendo.*

6. *Nec est in credibile Christum Dominum sub eiusdem hæc omnia comprehendisse propter eo-*

Par. I.

rum connexionem, & propter diuini sui sermonis eminentiam. Vnde D. Tho. 2. 2. q. 19. art. 12. dixit, paupertatem spiritus includere inanitionem inflati, & superbi spiritus, cum abiectione rerum temporalium ex instinctu Spiritus Sancti. Nihilominus tamen certius videtur, per se, ac precipue paupertatem excludentẽ temporales diuitias Christum beatificasse, non quancunque, sed voluntariam, neque hanc etiam omnem (nam, vt alibi dixit Hier. etiam Socrates, & alij Philosophi diuitias contempserunt, & non propterea fuerunt beati) sed illam, quæ spirituali modo assumitur, vtiq; propter spirituales perfectionem assequendam. Quod maxime fit, quando ex vera animi humilitate, & rerum temporalium contemptu diuitiæ relinquuntur. Hinc vero fit cõsequenter, vt qui aliquo modo hanc participant paupertatem, cum proportionem præmium illius beatitudinis consequantur, & ideo etiam diuites, qui parati sunt diuitias elargiri, vel distribuere, sicut oportet, vel si ad Dei gloriam, & propriam salutem necessarium sit, omnino etiam relinquere, ab illa paupertate non excluduntur. Deniq; quocunq; ex dictis modis paupertas illa accipitur, constat actum illum voluntarie renuntiandi omnia, solum esse posse vel ex aliqua virtute, vel ex dono Spiritus Sancti. Nam si consideretur paupertas solum quoad carentiam, vel priuationem rerum temporalium, sic non est per se appetibilis, neq; bona, vt dixit D. Th. 3. contra gent. cap. 133. sed iuxta motuum, seu finem, & modum eius habet, quod sit honesta. Vnde si abdicatio rerum fiat propter subuentionem pauperum, erit opus misericordiæ, si voto Deo consecratur, erit opus religionis, si propter vitandum periculum peccandi, erit opus charitatis, vel poenitentiae, aut castitatis, seu illius virtutis, cui tale peccatum opponitur. Et ita semper participat honestatem alicuius virtutis. Quod si altiori instinctu Spiritus Sancti appetatur, erit ex dono Spiritus Sancti accomodato tali motui, puta pietatis, aut timoris, seu humilitatis. Et hæc sufficiunt de hac beatitudine. De promissione autem illi facta nihil dicere oportet, quia per se satis patet.

Secunda beatitudo est, Beati mites, quam aliqui de humilitate exponunt, quia nemo potest esse mitis, nisi humilis sit. Vnde Christus Matth. 11. dicebat. Discite a beatitudine mea, quia mitis sum, & humilis corde. Eodemq; modo illa coniungit Cyprian. libr. 3. ad Quirin. cap. 5. Sed licet illa duo valde coniuncta sint, diuersæ virtutes sunt: aliud enim est mansuetudo, aliud humilitas, mites enim dicuntur, qui sunt mansueti, & lenes, non proprie, ac formaliter qui sunt humiles. Vnde non oportet verba extra propriam significationem transferre. Imo licet illa sint moraliter coniuncta, posset aliquis animo, & mente esse humilis, quæ virtus magis spiritualis est, & non esse mitis, quia non habet passionem iræ satis moderatam. Longe aliter Basil. in Regul. breuiorib. interrogat. 191. Quis est (inquit) mitis? & respondet. Qui in iudiciis earum rerum, quæ Deo placent, idem stat māsuetudine. Vbi describit mitem per quandam effectum eius, qui est placido, & quieto animo accipere omnia, quæ per diuinam providentiam homini eueniunt, etiam si proprijs commodis contraria videantur. August. vero libr. 1. de Sermon. Domini in monte, cap. 4. ait eum esse mitem, qui cum pietate suscipit Scripturas, easq; non resistit, & infra dicit mitibus promitti, vt hæreditate possideant terram, tanquam testamentum patris cum pietate querentibus. Sed hoc etiam ad remotum quandam mansuetudinis effectum spectat, & magis allegoricum videtur, quam literale.

Proprie ergo mansuetudo est virtus, quæ passionem iræ moderatur, vt tradit D. Thom. 2. 2. q. 157. Et de hac optime, & propriissime Christi verba intelligit Ambros. lib. 5. in Lucam, & D. Thomas 1. 2. q. 69. art. 3. Atque ita illos Christus mites appellauit, qui passionem iræ ita habent rationi subiectam, vt non facile, nec inordinate eius impetu, & affectu moueantur.

O o

Vnde

explicitio.
nes subsistit
& suffiunt.

Tertia.
men litera-
lis videtur.

Concluditur
paupertas a
virtutibus,
vel domo nō
distingui.

Exponitur
humilis sit.
Discite a beatitudine
mea, quia mitis sum, & humilis corde.

Secunda, &
vera senten-
tia.

In quo consi-
deratur
quæ Deo placent, idem stat māsuetudine.

8.
Mansuetu-
dine vera
ratio.

Vnde si sub hac tantum ratione hic actus consideretur, ad virtutem quandam moralem, & acquisitam pertinet. Si autem illa iræ moderatio fiat cum maiori, & supernaturali perfectione, poterit pertinere ad virtutem infusam, vel ad donum illi correspondens, applicando ad illam materiam motiuam in superioribus explicata. Gregor. autem Nissen. in suo tract. de beatitudine. non solum ad iræ, sed etiam ad omnium imperatorum affectuum moderationem hæc verba referre videtur, nam sub mitib. omnes illos complectitur, qui animum pacatum, & omnibus concupiscentiarum perturbationibus vacuum possident. Quod etiam per translationem quandam, seu extensionem dictum est, proprietates autem verborum Christi est, quam exposuimus.

9. *Quia terra manifestum est de terra huius mundi, vel de terra viuientium, seu celesti patriæ, quæ licet in se coelum sit, beatis est quasi terra, quam calcant, & inhabitant, varie namq. à Patribus exponitur. Nam priori modo exponit Chrys. Homil. 15. in Marth. posteriori autem modo Hieronymus ibi, & Nazianz. supra, & author Imperfecti Homil. 19. Vbi etiam de terra proprii corporis intelligi posse dicit, & insinuat Hilari. dicto can. 4. & sequitur Bernard. serm. 1. de omnibus Sanctis. Augustinus autem libr. de Sermo. Domini in monte, cap. 4. licet per terram intelligat celestem patriam, nihilominus per possessionem eius intelligit, non quæ futura est in alia vita, sed quæ in hac potest quandam animi quietem, & firmam spem obtineri. Quæ omnia pie dicta sunt, & facile suscipi possunt. Probabile enim est valde, Christum ad terram intellexisse, mites etiam in hoc mundo possidere terram, non quia illis promittantur regna, vel diuitie terrenæ, sed quia etiam in hoc mundo cum pace, & quiete viuunt: nihilominus tamen in hoc subintellectum esse, eos futuros esse hæredes, & possessores terræ viuientium, & hic quodammodo incipere illa possidere, vt acute Augustinus dixit.*

Vera expositio literalis

10. *Exponitur tertia beatitudo.*

De quo loquitur Christus loquatur varia expositiones.

11. *Expositiones alie.*

De promissione autem huic beatitudini facta dubitari solet, an intelligenda sit de terra huius mundi, vel de terra viuientium, seu celesti patriæ, quæ licet in se coelum sit, beatis est quasi terra, quam calcant, & inhabitant, varie namq. à Patribus exponitur. Nam priori modo exponit Chrys. Homil. 15. in Marth. posteriori autem modo Hieronymus ibi, & Nazianz. supra, & author Imperfecti Homil. 19. Vbi etiam de terra proprii corporis intelligi posse dicit, & insinuat Hilari. dicto can. 4. & sequitur Bernard. serm. 1. de omnibus Sanctis. Augustinus autem libr. de Sermo. Domini in monte, cap. 4. licet per terram intelligat celestem patriam, nihilominus per possessionem eius intelligit, non quæ futura est in alia vita, sed quæ in hac potest quandam animi quietem, & firmam spem obtineri. Quæ omnia pie dicta sunt, & facile suscipi possunt. Probabile enim est valde, Christum ad terram intellexisse, mites etiam in hoc mundo possidere terram, non quia illis promittantur regna, vel diuitie terrenæ, sed quia etiam in hoc mundo cum pace, & quiete viuunt: nihilominus tamen in hoc subintellectum esse, eos futuros esse hæredes, & possessores terræ viuientium, & hic quodammodo incipere illa possidere, vt acute Augustinus dixit.

Tertia beatitudo est, *Beati qui lugent.* Non explicuit autem Christus Dominus, cuiusnam rei, vel obiecti futurus sit ille luctus, vt beatificari merito possit. Quia intellectus per se indifferens est, & aliquis potest esse laudabilis, aliquis vituperabilis. Nam vt Paulus ait. 2. Corinth. 7. *Seculi tristitia mortem operatur, quæ autem secundum Deum est, salutem stabilem operatur.* Certum est autem Christum loquutum esse de luctu laudabili. Vnde Chrysostomus de lugentibus propria peccata, locum exponit. Quæ fuit etiam sententia Hilarij dicto can. 4. & Ambrosij dicto lib. 5. in Lucam, & Cyprian. epist. 52. ad Antonian. circa finem, & Bernard. supra. Hieronymus autem in Marth. etiam de lugentibus aliena peccata illum intelligit, sicut Samuel luxit Saul. 1. Reg. 15. & Paulus fornicariam. 2. Corinth. 12. vel sicut Christus Luc. 19. fleuit super Hierusalem, non tam propter futurum eius excidium, quam propter causam eius, quæ erant peccata. Leo autem Papa dicto serm. verumq. coniungit, dicens. *Religiosa tristitia aut alienum peccatum deslet aut proprium.* Et author Imperfecti Homil. 9. vtrolq. dicit esse beatos & qui propria, & qui aliena deslent peccata, sed beatiore qui aliena, quia supponuntur non habere propria, quæ desleant. Quod intellige ex genere actus: nam prior ad statum imperfectorum, posterior ad statum perfectorum spectat. Vnde ille poenitentia actus est, hic charitatis.

At vero Gregor. Nissen. supra hac expositione de luctu peccatorum reiecta, luctum hunc intelligit oriri debere ex in fera conditione huius vitæ, in quam per peccatum primi parentis incidimus. Alij vero per lugentes intelligunt iustos, qui oppressi in hoc seculo, quia virtutem sectantur, quasi naturali sensu naturæ lugent, & contristantur, iuxta illa Christi verba Ioan. 16. *Florabitis, & flebitis vos, &c.* Ita exponit Cyprianus, libr. 3. ad Quirin. capit. 6. Et est satis pro-

babilis expositio, quia iuxta Christi doctrinam beatitudo huius vitæ inferenda eius cruce posita est; crux autem non potest diu ferri sine gemitu, & dolore, nam & Christus illam non ascendit sine sudore sanguinis, præ nimia tristitia; sic autem suavis consolatione diuina, vt eleganter profectur Bernard. serm. 1. de S. Andrea. Neque multum ab hac sententia differt expositio Diui Thomæ 1. 2. quæst. 69. articul. 3. quæ mihi maxime probatur. Nam per lugentes intelligit iustos, qui in vincendis, & mortificandis proprijs concupiscentijs laborant, quod non fit sine luctu, & gemitu. Sicut enim mites beatificantur, quia iram domant, ita etiam isti, quia concupiscentias vincunt, etiam si lugere oporteat. Et hanc expositionem indicauit Augustinus lib. 1. de Sermo. Domini in monte cap. 2. Nam hos lugentes intelligit esse viros imperfectos, licet iustos, qui in principio conuersionis suæ non sine tristitia relinquunt, quæ amant, vel concupiscebant, *Donec* (inquit) *in illis fiat amor aternorum, vtique perfectus.* Sic autem intellecta hac beatitudo non in actu vnius, vel alterius virtutis, sed in collectione, & exercitio plurium consistit, iuxta varietatem concupiscentiarum, & affectuum, quod multis alijs beatitudinibus commune est, vt dicemus. Quocunque tamen ex dictis modis hic actus, vel affectus explicetur, constat non esse ex aliquo peculiari principio distincto à virtutibus moralibus, vel acquisitis, vel infusis, & interdu esse posse ex dono præcipue fortitudinis, & timoris, superiori modo fiat.

Quarta beatitudo est, *Beati qui esuriunt, & sitiunt iustitiam,* vbi ponitur iustitia vt obiectum illius famis, & sitis, ac subinde non loquitur Christus de fame, & siti corporali, sed de spirituali, & feruenti desiderio iustitiæ, vt omnes communiter interpretantur. Per iustitiam autem licet Chrysostomus, & quidam alij particularem iustitiam intelligant, verumtilius est, Christum, de iustitia vniuersali, quæ hominem facit iustum, & sanctum, fuisse loquutum: sicut etiam infra cum dixit, *beatos esse qui patiuntur propter iustitiam.* Vnde constat, hanc famem, & sitim vel non significare peculiarem actum vnius virtutis, sed quasi collectionem actuum, & affectuum omnium virtutum: completur enim hæc famis, & sitis ex varijs affectibus religionis, poenitentia, misericordia, & ceterarum virtutum, quibus homo appetit, & sitit iustitiam, non vno momento totam, sed discursu temporis diuersarum virtutum frequentia desideria exercendo: in quibus etiam includitur famis, & sitis iustitiæ particularis virtutis, vt per se patet: vel certe haberi potest famis illa vniuersali in suo esse particulari, in obiecto vero vniuersali, qualis est vel actus charitatis, quo vult homo in omnibus placere Deo, vel obedientia, quo voluntatis Dei explende in omnibus perpetuam famem, & sitim habet, vel actus deuotionis ad religionem pertinet, quo Dei gloriam, & honorē in omnibus appetit, vel et potest esse actus spei, quo quis intendit propriam sanctificationem in omnibus querere, eamq. vt maximum bonum suum vehementer appetit.

Et ita manifestum est, propter hanc beatitudinem non esse necessarium ex cogitare actum aliquem, qui ad virtutes, vel dona non pertineat. Solum superest aduertendum Lucam cap. 6. hanc beatitudinem secundo loco posuisse his verbis, *Beati, qui nunc esuriunt, quia saturabimini,* vbi obiectum illius esuriens subicitur, & videtur loqui de fame corporali, & beatos dicere eos, qui in hac vita esuriunt, id est, qui penuriam, & indigentiam temporalium bonorum patiuntur, vel qui ab omnib. delectijs corporis abstinent, vtq. propter Deum, & iustitiam. Dicendum autem est, non esse inconueniens, in illis locis famem in diuerso sensu accipi, quia Lucas non refert eundem Christi sermonem, quæ Matthæus nam Matthæus refert sermonem Domini in monte ad discipulos suos, & in initio prædicationis suæ; Lucas autem refert alium sermonem Domini

C. XXII. Vtr. sint alij actus supernaturales, qui beatitudines, vel fructus, &c. 435

Domini in loco campestris ad turbas, & post aliquod tempus, & progressum prædicationis suæ. Vel etiam dici potest utraque verba posse ad eundem sensum facile trahi, quia non beatificantur, qui corporalem famem patiuntur, nisi quatenus illam propter iustitiam sustinent, & ita sub illa voce etiam intelligitur famem iustitiæ, ideoque eadem saturitas iustitiæ vtroque loco promittitur.

14. Quinta beatitudo est, *Beati misericordes, &c.* Quæ nulla fere declaratione indiget. Nam verba illa cum indefinita sint, de quibuscunque actibus misericordiæ, vel beneficentiæ, ac dilectionis erga proximum intelligi debent, siue sint corporales, siue spirituales, siue fiant conferendo aliquid boni, siue remittendo mala, & iniurias. Sunt enim verba Christi generalia, & omnes homines, omnesque modos miserendi includunt: & præmium huius beatitudinis omnibus his actionibus commune est, ideoque & elemosynæ promissa est peccatorum remissio, & de illo, qui noluit debitum remittere, dixit Christus. *Nomne oportuit, & te misereri conserui tui, sicut, & ego tui misertus sum?* Mat. 18. Totum autem hoc miserendi genus partim ad charitatem pertinet, partim ad virtutem moralem misericordiæ satis notam, in cuius materia potest interdum donum pietatis, vel timoris operari. Actus vero alterius generis, vel principij nullo fundamento ibi cogitari potest.

15. Sexta beatitudo est, *Beati mundo corde.* In qua solum adnotare oportet, munditiam cordis non vnum, vel alium actum, sed vsum, & perfectionem omniū virtutum postulare: imo tantam honestorum actuum frequentiam requirit, ut perfectum quendam virtutis statum introduxerint. Cōstitit enim cordis munditia in primis in carentia omnis culpæ coram Deo, quæ non vno actu comparatur, sed observatione omniū mandatorum, & perfectæ remissione præcedenti peccatorum. Deinde non solum carentiam omnis culpæ, verum etiam immoderationum affectuum, & motuum, qui ad culpam inclinant, victoriam, & animi mortificationem videtur hæc munditia postulare, & includere: quia nisi cor sit ita mundum, non est aptum ad videndum Deum, sicut hic mundis corde promittitur.

16. Dices, hæc munditiam cordis non posse in hac vita comparari, Christum autem eos beatificare, qui in hac vita mundum cor habent. Respondeo, sicut dilectio Dei perfecta, quæ omnem defectum excludat, in hac vita obtineri non potest: proponitur autem ut intendenda, & procuranda, inchoando illam in hac vita quoad fieri poterit: ita etiam munditiam cordis non præcipi, nec postulari in hac vita cum ea perfectione, quam habebit in patria, sed tamen proponi, ut ad eam tendamus, eamque in hac vita inchoemus, quoad fieri possit. Sic ergo dicuntur mundi corde, qui ab omni malitia abstinere, & omnem prauū motum vitare student, quoad possunt cum diuino auxilio. Hoc autem fit per actus virtutum, & donorum, eorumque continuo, ac perseveranti vfu. Quod si hæc munditia vni actui tribuenda est, maxime diuine dilectioni, & intentioni rectæ placendi Deo in omnibus: nam ut Christus Dominus dixit, *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit.* Mat. 6. Idem autem est mundum cor, quod simplex oculus, ut Augustinus dixit dicto lib. 1. de Sermonibus Domini in monte cap. 2.

17. Septima beatitudo est, *Beati pacifici, &c.* Quæ duobus modis exponitur. Primo iuxta rigorem, & proprietatem verbi pacificandi, quod idem significat, ac pacem facere: sic ergo pacifici dicuntur, qui non solum pacem cum omnibus habent, sed etiam discordantes conciliant, & inimicitias inter proximos auferunt, vel etiam maiori, & perfectioni ratione dicuntur pacifici, qui homines Deo reconciliari student, quibus merito participatio filiationis Dei promittitur, quia filius Dei naturalis ad hoc præcipue venit in

terram, ut in illo pacem habeamus, sicut ipse dixit Io. 16. & ideo illo nascente, statim mundo prædicata est, quia per illum erat consummanda: *pacificans per suum sanguinem, quæ in celis, & in terra sunt, ut dicitur ad Col. 1.* Estque hæc expositio valde probabilis, & iuxta illam actus huius beatitudinis, actus charitatis est: nā charitas est, quæ homines cum Deo, & inter se vnit. Vnde pax inter effectus, seu actus charitatis numeratur ad D. Tho. 2. 2. q. 29. art. 3. ergo procurare hanc pacem, officium est charitatis. Alio modo exponitur hæc beatitudo de interna pace hominis respectu Dei, & proximorum, atque etiam in seipso inter proprios appetitus inferiores, & superiores, & in vnoquoque illorum secundum varios eius affectus. Et hanc expositionem tradidit Aug. dicto lib. 1. c. 2. & 4. docet enim, has beatitudines gradatim procedere ab imperfecto ad perfectum statum, quem sentit, in hac beatitudine intrinsece consummari, nam octaua perfectionem supponit, & ostendit. Vnde ait. *In pace perfectio est, ubi nihil repugnat, & ideo filij Dei pacifici, quia in istis nihil repugnat Deo, & concludit. Hæc est vita perfecti, consummatioque sapientis.* Iuxta quam expositionem pax hæc non est vnus virtutis actus, sed omnium virtutum, & donorum effectus, qui homines in animi quiete, & quasi immutabilitate similes Deo facit, & ideo merito isti sic pacifici filiorum Dei nomē singulariter nanciscuntur.

Octaua beatitudo est, *Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam,* de qua August. dicto cap. 4. ait, redire ad caput, hominemque perfectum declarare, Et D. Thomas. 1. 2. q. 69. art. 3. ad 5. dicit, non addere præcedentibus nouam hominis perfectionem, sed confirmare, & ostendere firmitatem, & stabilitatem animi purgati, illuminati, & pacificati per septem præcedentes beatitudines, septemque dona Spiritus Sancti, quæ illis murato ordine correspondent, ut August. late prosequitur.

Sed in hoc duo addere oportet, vnum est, in hac vltima beatitudine specialiter exerceri actum patientiæ, & fortitudinis, qui in tolerandis laboribus, & persecutionibus propter fidem, & religionem exercetur, & in Martyrio potissimum consummatur, qui actus in superioribus beatitudinibus satis explicatus non fuerat. Imo ad hanc beatitudinem pertinere etiam existimo perseverantiæ donum, quod maxime facit hominem beatum. Nam qui perseverauerit vsque in finem, hic saluus erit: hoc autem sine tolerantiā persecutionum in hac vita nemini forte, vel rarissime contingit, & ideo merito donum perseverantiæ in hac vltima beatitudine comprehendere intelligimus. Perseuerantiā autem hæc non est specialis actus virtutis, sed quædam mandatorum integra observatio vsque ad finem vitæ, quæ per actus diuersarumque virtutum in discurfu vitæ fit, licet in alia significatione perseverantiā ponatur esse specialis virtus à D. Thoma 2. 2. q. 137. tamen etiam illa multum iuuare potest ad hoc perseverantiæ donum, & ad hanc beatitudinem, licet illa sola non sufficiat.

Alterum aduertendum est, licet prædicti Patres dicant hanc octauam beatitudinem ostendere perfectionem eius, qui persecutionem propter iustitiam constanter sustinet: nihilominus sæpe per diuinam gratiam fieri, & factum esse, ut homines antea imperfecti, imo & peccatores ad hanc beatitudinem assumantur, & in illius actu, seu exercitio virtutes cæteras summam expleant, ut in innumeris martyribus visum est. Tunc ergo tribulatio non clarificat perfectionem in eo, qui patitur, præexistentem, sed ostendit efficaciam gratiæ Dei, & est occasio subito ascendendi ad eximium quendam sanctitatis, & beatitudinis gradum: tum obseruentem fidei, & charitatis actum, cum vfu aliarum moralium virtutum fortitudinis, patientiæ, &c. Tum propter singulare martyrij privilegium, & Christi promissionem: *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo,* Mat. 7. Et fortasse ratione illius promissionis

O o 2 celo-

In hoc sensu hæc beatitudo à charitate elicitur.

Exponitur.

18. Exponitur.

8. beatitudo.

19. Patientiæ hic fortitudo, & perseverantiā intelliguntur.

20. Hæc beatitudo perfectionem non supponit, sed aliquando causat.

21.
De numero
harum bea-
titudinum.

cælorum regnū, eorum, qui sic patiuntur, esse dicitur. Ex his ergo omnibus satis euidenter patet, beatitudines has non esse actus, qui ad virtutes, vel dona non pertineant. Quod vero ad earum numerum attinet, necesse non est illum ita præcise, & exacte intelligere, ac si non posset Christus plures numerare, si voluisset. Nam Luc. 5. has octo ad quatuor reduxit, quæ virtute alias continent, vt ibi notat Ambrosius. Probabile est enim duos illos Euangelistas diuersas rationes huius numeri, quas D. Tho. & alij tradunt, vt declarent in his beatitudinib. viam salutis, & perfectionis sufficientissime contineri. Aliæ vero rationes mysticæ huius numeri in Patribus citatis, & Euangeliorum expositio-ribus videri possunt.

22.
In his beati-
tudinibus
actus supra
præmium re-
ponitur.

Vltius tamen aduerto, in his beatitudinibus aliquid poni, quod est actus virtutis, de quo omnia dicta procedunt, aliquid vero adiungi vt præmium virtutis, quod non est necesse ad virtutis alicuius actum pertinere. Imo inter hæc præmia multa sunt, quæ non videntur proprium hominis actum significare, vt possidere terram, misericordiam consequi, filium Dei vocari, consolari, saturari. Imo inter omnia præmia vnum tantum est, quod expresse actum hominis significet, scilicet, visio Dei, quæ mundis corde promittitur. Veruntamen dicendum est, merito quidem poni beatitudines has in actibus, vel per eos expressus declarari, quia ad præsentem vitam pertinent, & ideo fieri debent in nobis, non sine nobis moraliter cooperantibus. Præmia vero ex genere suo, quia ab alio conferuntur nobis, non ita necesse est, vel in actibus consistere, vel per actus significari, nam & habituum perfectio, & occasiones bene operandi, & alia auxilia specialia conferuntur a Deo vt præmia virtutum, quæ vel nullo modo fiunt per actus nostros, vel non fiunt per actus liberos, & morales, sed a Deo immisos, vt sunt spirituales consolationes, & præuenientia auxilia.

23.
In patria
vnum est
præmium.

Nihilominus tamen addere oportet ex Augustino, & D. Thoma illa præmia beatitudinum posse referri vel ad vitam futuram, vel ad præsentem. Si de futura intelligantur, omnia sunt vnum præmium, licet diuersis vocibus, & respectibus significetur. Quod quidem præmium est visio Dei, vt in sexta beatitudine formali appellatione nominatur, eadem vero dicitur regnum cælorum in prima, & octaua beatitudine, quia virtute continet omnia bona, quæ in illo regno existunt, cum sit ipsius summi boni consecutio. Vnde fit etiam, vt per illam beati possideant terram viuentiu, & consoletur, saturentur, misericordiam summam obtineant, & statum perpetuum, ac nomen filiorum Dei consequantur. Illud autem præmium, quia in hac vita non obtinetur, non fit in nobis per virtutes huius vitæ: in alia vero per quandam virtutem intellectualem illis correspondentem, scilicet lumen gloriæ, & diuino potius, q̃ humano modo fieri.

24.
Harum bea-
titudinum
præmia in
hac vita.

At vero si præmia illa in hac vita conferantur, quædam intelligi possunt ratione habitualis gratiæ, & sanctitatis, vt fieri filios Dei, & per remissionem peccatorum misericordiam consequi: alia propter peccatorum perfectionem eiusdem sanctitatis tam habitualis, quam actualis, vt saturari iustitia, possidere regnum cælorū, quod intra nos est, & per quandam

anonomasiam vocari filios Dei. Quædam item consistere possunt in peculiari aliquo fauore, & gratia Dei, etiam sine morali actu nostro, vt est consolari, & possidere terram. Denique aliquod etiam præmium esse potest actus ipsius hominis, vt est visio Dei, per quam in hac vita significatur contemplatio Dei, vel intelligentia mysteriorum eius, quæ per fidem, & dona intellectus Spiritus Sancti, comitante charitate in hac vita comparatur. Et ita quidquid est in his præmijs, quod ad actum hominis pertineat, inter actus virtutum, & donorum inuenitur. Atq̃ hæc de his actibus præfenti instituto sufficiunt: nam reliqua, quæ ad beatitudinem cum donis collationem pertinent, difficultatem scholasticam non habent, satisq̃ a D. Th. explicantur, tum in generali in 1.2. q. 69. art. 2 & quarto, tum in particulari in secunda secundæ agente fere de singulis virtutibus.

De fructibus Spiritus Sancti.

Vltimo dicendum est de fructibus, de quibus disputant Theologi occasione verborum Pauli ad Galat. 5. *Fructus autem Spiritus sunt caritas, & c.* Et in primis quærent, an sint habitus, vel actus? Nam quidam eos vocant habitus, & virtutes, vt Albertus, & Gabriel supra. Alij actus esse dicunt, vt D. Thomas 1.2. quæst. 70. Veruntamen non est dubium, quin Paulus nomine fructuum opera, & actus significauerit. Quod patet in primis ex contextu, prius enim dixerat, carnem, & spiritum tibi ipsi aduersari, postea vero declarat, hanc pugnam esse in actibus, & operibus vtriusque partis, & ad illam explicandam prius opera carnis recenset, quibus fructus Spiritus opponit, opera autem carnis non sunt habitus, sed actus: fructus ergo Spiritus etiam sunt opera, quæ virtute Spiritus in nobis fiunt, cum contra concupiscentias pugnamus. Deinde idem probatur ex vocis metaphora. Fructus enim (vt recte ait Diuus Thomas) est vltimus effectus, qui ex arbore cum utilitate, & voluntate percipitur: inde ergo id, quod est vltimum in effectibus Spiritus, quodque cum suauitate, & utilitate perficitur, est actus vltimus, seu virtutum opera: hæc ergo significauit Paulus nomine fructus. Sicut Christus dixit Matth. 12. *Omnis arbor bona bonos fructus facit.* Item *Ex fructibus eorum cognoscetis eos.* Opposuit autem Paulus fructus operibus carnis, quia hæc opera nullum fructum afferunt. Vnde ipse ad Roman. 6. peccatores interrogat, *Quem fructum habuistis in his in quibus nunc erubescitis?* Opera autem Spiritus magnum fructum afferunt. Vnde subdit ibidem Apostolus: *Nunc vero liberati a peccato habetis fructum vestrum in sanctificatione.* Et hinc vsus Theologorum obtinuit, vt opera bona, quæ ab homine iustificato fiunt, fructus iustitiæ appellentur. Per quam etiam metaphoram significatum est, opera carnis esse nostra, opera autem Spiritus, esse fructus inhabitantis in nobis Spiritus, vel mouentis. Sunt ergo fructus Spiritus actiones honestæ, quæ in nobis, & a nobis per afflatum Spiritus Sancti fiunt. Nemo autem negat his operibus habitus correspondere, & ita quoad hanc partem nulla superest de re, sed tantū de vocabulo cōtentio.

Deinde vero sequitur inquirendum, an hi, qui dicuntur fructus Spiritus, sint tales actus, vt quasi nouum gradum, seu ordinem actuum constituant distinctum ab actibus virtutum, & donorum. Nam Albertus supra indicat, fructus esse virtutes distinctas à communibus virtutibus, & donis. Veruntamen certissimum est, fructus esse eosdem actus virtutum, vel donorum, quos Paulus per metaphoram dictam fructus appellauit. Ita docent D. Th. & omnes. Constat ex dictis supra de beatitudinibus: nam ratio ibi facta efficaciter idem probat de fructibus, nulla enim ratio cogitari potest ad nouum ordinem actuum constituendum, propter quos noui habitus excogitandi sint. Nam quod Albertus ait, fructum significare actum vt reficit, & delectat possessorem secundum spiritualem gustum: non obstat, nam hoc etiam habent actus vir-

C. XXII. Vtr. sint alij actus supernaturales, qui beatitudines, vel fructus, &c. 437

virtutum, & donorum ex genere suo, magis vero vel minus id præstant, iuxta gradum suum, & iuxta dispositionem operantis. Hinc vero D. Thomas 2. 2. quæst. 157. art. 2. ad 3. dixit, beatitudines esse actus virtutum, fructus vero esse delectationes de actibus virtutum. Sed hoc intelligendum est sano modo, nam re vera isti actus virtutum sunt propriissimi fructus, & fortasse meliores, & vtiliores, quam delectationes, quæ ex illis resultant. Solum ergo quoad metaphoram videntur virtutum actus nomine fructuum significari, quatenus suauitatem secum afferunt, & quia hoc maxime habent in statu virtutis perfectæ, ideo maxime videntur actus perfecti fructus appellari, absolute vero omnes actus iustitiæ fructus dici possunt.

27. Tandem hoc probatur ex numeratione Pauli, nam charitatem ponit vt primum fructum Spiritus Sancti, per quam certe non intelligit, nisi (vt solet) diuinum amorem, qui nobis infunditur per Spiritum Sanctum, qui datur nobis, & illi adiungit gaudium, & pacem, qui sunt actus, & effectus eius. Postea vero ponit fructus virtutum moralium, vt respectu proximarum bonitatem, id est, beneficentiam, seu liberalitatem, quam etiam vocat benignitatem, & fidem, vtique moralem, sub qua totum fructum iustitiæ complectitur. Respectu vero sui ponit in primis quoad mala ferenda patientiam, loco fortitudinis, seu totum fructum fortitudinis sub illa complectens, cui adiungit longanimitatem, per quam animi constantiam, & lenitatem in diuturnis, & acerbis malis sustinendis significat. Et his etiam deseruit tolerantiam, quæ iram moderatur, & ad malorum tolerantiam inuare solet. Quoad operanda bona, & frændas concupiscentias (quod est temperantiæ munus) ponit modestiam, continentiam, & castitatem. Et ita omnes hi fructus ad charitatem, & tres virtutes morales appetitus pertinent.

28. Fidem autem, spem, & prudentiam omisit Paulus, vel quia non assumpsit prouinciam numerandi omnes fructus, vel omnes actus virtutum, sed eos, qui operibus carnis frequentius, & clarius aduersantur, vel quia fides, & prudentia non fructificant, nisi media voluntate, spes autem non videtur tam proprie significari per metaphoram fructus. Vel certe fides, quam Paulus narrat, potest ad fidem Theologiam referri, vt D. Th. etiam docet, & sub longanimitate potest intelligi spes, vt Gabr. exponit, qui etiam sub modestia prudentiam comprehendit: sed est dura, & metaphorica expositio, meliusque dicitur virtute comprehendi sub omnibus moralibus fructibus, quia sine prudentia nulli sunt. Atque hæc sufficiunt de numero fructuum, quia (vt dixi) non oportet cogitare tot esse numeratos, quia tot sint, & non plures, vel quia in illo numero singulare aliquod mysterium inueniatur: sed quia illi viles & sufficientes vili sunt ad oppositionem inter spiritum, & carnem explicandam. Atq; hæc videntur sufficere præsentis instituto, nam de his singulis inquirere quid sint, & quomodo inter se distinguantur, integrum tractatum de Virtutibus in particulari postulat.

C A P V T XXIII.

Vtrum ad seruanda supernaturalia præcepta, quæ de internis actibus data sunt, vel ad non peccandum contra illa, sit gratia necessaria?

1. Hæcenus dictum est de necessitate gratiæ ad efficiendos supernaturales actus, abstrahendo à ratione præcepti, nunc superest breuiter dicendum de obseruantia præceptorum supernaturalium, & quoniam de interioribus, & exterioribus actibus dantur.

Pars I.

de quibus diuersa est ratio, ideo de illis sigillatim dicemus. Potest deinde tractari quæstio vel de tota collectione supernaturalium præceptorum, vel etiam de singulis pro quocunque tempore obligantibus; nos autem hunc posteriorem sensum intendimus. Nam in priori à fortiori definita est quæstio ex his, quæ de obseruatione præceptorum naturalium superiori libro diximus: præterquam, quod ex definitione quæstionis in posteriori sensu, in priori etiam resoluta manebit, vt in fine capitis vno verbo expediemus.

In hoc ergo puncto iterum occurrit error Pelagij, qui indistincte asseruit, omnia, & singula præcepta posse sine gratia impleri, vt copiose in proleg. 3. dictum est. Vt autem in hoc puncto distinctus procedamus, & in illo error Pelagij melius intelligatur, aduerto, duobus modis posse præceptum aliquod dici supernaturale, scilicet, vel quia datur de actu supernaturali, vel quia præter ordinem naturæ datur. Quod potest contingere duobus modis, scilicet, vel quia datur ex aliqua suppositione supernaturali, vel quia est positum, immediate à Deo ipso positum, ex sua libera voluntate nobis reuelata. Priori modo potest dici præceptum supernaturale quoad substantiam, posteriori autem quoad modum. Quimodus magis in præceptis de actibus externis, quam de internis locum habet, vt capite sequenti dicam. Ex his autem duobus modis præceptorum supernaturalium Pelagius certe non admitteret priorem, quia supernaturales actus non agnouit, ablata autem materia aufertur præceptum. Quocirca non videtur composuisse (vt sic dicam) tale supernaturale præceptum cum obseruatione illius per solas vires liberi arbitrij, quia fuisset hæc aperta contradictio, nimirum, admittere verum supernaturale præceptum ex parte actus, & nihilominus dicere, posse per vires naturales seruari. Sed errauit negando data esse, vel dari posse hominibus talia præcepta supernaturalia, fortasse enim credidit, non posse dari præcepta de talibus actibus, vel quia nullo modo possunt à nobis fieri, vel quia non possent esse liberi. Admisit autem Pelagius præcepta supernaturalia posteriori modo, illa tamen dicebat posse impleri per vires naturæ. Vt v.g. præceptum fidei dici potest supernaturale, quia supponit reuelationem supernaturalem, quia posita resultat obligatio credendi, nihilominus tamen aiebat, hanc obligationem solum esse de fide quadam naturali, quam homo potest per vires liberi arbitrij adhibere, & ita dicebat hoc præceptum posse impleri per vires naturæ. Et idem diceret de præcepto charitatis, & spei, quæ maxime de actibus internis dantur. Et in hoc etiam ducebat Pelagius illo fundamento, quod Deus non præcipit impossibilia, & ideo licet hæc præcepta sint quoad modum supernaturalia, quia aliquid supra naturam supponunt, nihilominus de illa materia solum potest dari præceptum, quod per liberum arbitrium possit impleri.

Secundo referenda est aliquorum Theologorum opinio, qui supposita distinctione duplicis obseruantie supernaturalis præcepti, quoad substantiam, & quoad modum, dicunt, supernaturale præceptum quoad suam substantiam posse impleri per vires liberi arbitrij absque auxilio gratiæ, non tamen posse impleri quoad modum. Ita docet Caiet. 1. 2. q. 109. art. 4. vbi etiam D. Thomas videtur idem docere de homine in statu naturæ integræ, licet in statu naturæ corruptæ id non admittat. Sed D. Thom. in alio sensu longe diuerso loquutus est, vt postea declarabo. Caietanus itaque in omnibus præceptis etiam fidei, spei, & charitatis distinctionem illam locum habere vult. Vnde videtur fundari in hoc, quod actus præcepti per has leges non sunt quoad substantiam supernaturales, sed tantum quoad modum. Nam hinc sequitur, actus mandatos his præceptis posse fieri sine gratia quoad substantiam eorum; licet quoad modum

O o 3

modum